

mediante potentia receptiva : potentia autem ista est indifferens, et per aliquam mutationem sui debet determinari ad talem vel talem formam, vel saltem reduci in actum, ut actu sit recipiens, inde est quod actualis causalitas materiæ non fiat per ipsam solam potentialitatem, sed per aliquid superadditum, quo actualiter materia immutetur ad recipiendum. In forma autem totum est opposito modo; causat enim per actualitatem, quæ secundum se est determinata ad actuandum, et seipsa immediate actuat, quando recipitur et conjungitur materia, neque indiget nova actualitate superaddita ut materiam reddat actuatam, et compositum constituat, et sic non oportet, quod in actu secundo constituatur per aliquid superadditum entitative ipsi formæ, tanquam per rationem formalem causalitatis. Itaque ipsa causalitas formalis est actualis communicatio formæ, quæ non est aliud quam unio, juxta quod dicit S. Thomas quæst. iii de Verit. art. iii: « Quod formatio in formis intrinsicis fit per modum inhærentiæ, » id est, unionis. Sed tamen in hac unione formalis ratio uniendi, non est aliquod medium, vel aliquid superadditum formæ, sed seipsa est actus secundus uniendi, licet non semper sequatur effectus formalis, quia desunt conditiones extrinsecæ, vel agentis applicantis, vel materiæ applicatæ, quæ sunt conditiones extrinsecæ, quia non magis reducunt in actum potentialitatem aliquam formæ, ut dicatur in actu secundo informans, sed solum applicant actualitatem, quam habet forma; et sic communicatio formalis quasi active semper in actu secundo est ex parte formæ, sicut et ipsa forma, non tamen semper habet adjunctam passivam communicationem, quia deest materia, vel applicatio ad eam.

Dices: Forma per unionem pendet a materia, ergo per ipsam magis est formaliter causata, quam causans, siquidem in quantum causans non dependet, et in quantum unio dependet, implicata autem quod idem formaliter sit ratio, qua fit causans et causatum. Item, compositum est effectus formæ, et similiter ipsa materia habet esse a forma; ergo respectu illorum indiget aliqua causalitate media superaddita quia effectus distincti sunt. Tertio, ipsa forma secundum se solum est actualitas communicabilis, non autem ipsa actualis communicatio, ut patet in accidente separato, quod solum aptitudine est inhærens, non actu, et anima separata aptitudine est informans, non actu; ergo per actualem informationem et communicationem ipsa forma reducitur de actu primo ad secundum, et de potentia ad actum. Denique, ipsa unio educitur de potentia materiæ, neque enim fit per se, ergo non est causalitas formæ sed effectus ejus.

Ad primum respondetur, formam dependere a materia per unionem, quatenus tenet se ex parte formæ, et est unio perfectiva, nego; quatenus tenet se ex parte materiæ, et est unio receptiva, concedo; sed hæc unio pertinet ad materiam, et per illam dependet forma. Et quidem P. Suarez disputatione illa xv, sect. vi, n. x, non reputat inconveniens, quod eadem unio sit causalitas materiæ ut receptiva, et ut est a materia, sit vero causalitas formæ, ut est a forma, et sic sub diversis rationibus est causalitas et causata. Sed tamen nos non ponimus unionem mediam per modum vinculi, quæ sit a forma et a materia, sed ponimus diversas communicationes in forma et in materia, sicut diversas entitates, et per communicationem formæ, ut est ab ipsa forma, non causatur ipsa, sed causat aliquod esse in materia,

communicatio autem materiæ fit per ipsam potentiam materiæ non absolute, sed ut immutatur actu ad recipiendum. Quare unio ex parte re-communicatæ, et unitæ præcise, non est dependentia, sed ex parte ejus cui fit communicatio in eo, in quo a tali communicatione dependet, vel perficitur, ut patet in Verbo unito humanitati, quod non dependet ab humanitate, sed humanitas ab ipso.

Ad secundum dicitur, quod effectus proprius et immediatus formæ est ipsa forma communicata, quæ est effectus formalis, et quia hic reddit actualam materiam, et simul cum ipsa compositum constitutum, dicitur materia et compositum effectus formæ, qui tamen non requirunt distinctam causalitatem, quia sub eodem effectu formali attinguntur, qui effectus formalis a forma non distinguitur, nec distinctam causalitatem requirit.

Ad tertium respondetur, quod forma secundum se est communicabilis in actu primo; et ipsa etiam ratio communicandi in actu secundo, quantum ad actualitatem intrinsecam, non tamen quantum ad denominationem causandi in actu secundo, quia hoc dependet ab aliquo extrinseco, scilicet a receptione hujus communicationis in materia, defectu cujus neque accidens separatum dicitur inhærerere, neque anima separata informare, sicut actio ut præcise egradiens ab agente, tanquam actualitas secunda, non denominat agentem sed ratione effectus producti, imo ipse Deus, qui est actualitas pura, et actus secundus agendi, non denominatur agens quousque effectus ad extra sit productus. Sic ergo non mirum, quod ipsa forma secundum se sit actualitas secunda informandi, non tamen denominat quousque ei materia applicetur, et recipiat.

Ad ultimum respondetur, quod unio si est aliquid medium inter formam et materiam, educitur a materia, sed nos illam sic non ponimus. Et tamen adhuc in illa sententia potest dici, quod educitur tanquam modus causandi simul cum ipsa forma, non ut res, et sic non est aliquid pure causatum, sed ratio causandi.

Conditiones formæ ad causandum.

Conditiones requisitæ ad causandum formaliter possunt considerari sicut in materia, vel in ordine ad se, et hæc est existentia, vel in ordine ad alias causas, ut concursus agentis, approximatio materiæ, et dispositio ejus, vel denique in ordine ad effectum, sicut quod materia sit illi proportionata ad recipiendum effectum formalem, et similia.

Et quantum ad primum, existentia requiritur in forma ad causandum in suo genere, et ordine, scilicet ut sit existens per modum principii *quo*, non ut *quod*, sufficit enim quod forma ad informandum concomitanter, et in re habeat existentiam, non autem quod antecederet, licet sit forma subsistens, quæ in se existentiam habet; reliquæ formæ solum habent illam in ipso composito, et secundum se solum habent existentiam ut *quo*, et tanquam principium dandi esse, et hoc solum prærequiritur in prioritatem causalitatis suæ, scilicet ut præcedat in causando formaliter, tanquam principium existendi, non ut existens, sed hoc habet in termino suæ causalitatis, de quo plura diximus supra qu. vii, artic. iii et v.

Quoad secundum, requiritur in primis approximatio, seu indistantia materiæ erga formam informantem, quia cum debeat esse intima illi, non potest informare rem dis-

tantem : et quod distinguatur distantia ab informatione, vel receptione materiae, articulo praecedenti probavimus. Requiritur etiam concursus agentis, quatenus vel materiam subiecit formae, vel formam educit de materia, aut movet ad unionem, et consequenter requiritur concursus primi agentis, scilicet Dei, qui non concursu formali, sed effectivo movet formam sicut reliqua agentia.

Quoad tertium, requiritur proportio materiae ad informandum, quia materia improporcionata, vel non determinata non recipit effectum formalem formae. Ad hoc tamen sufficit dispositio, quae ex parte materiae se tenet, qua posita ipsa forma, se ipsa dat effectum materiae sic proportionatae, et determinatae, proportio autem intrinseca, ut quod materia et forma sint ejusdem ordinis, ut materia coelestis ad formas coelestes, et sublunaris ad inferiores, non pertinet ad conditionem, sed ad intrinsicam rationem istarum causarum.

Effectus formae.

De effectu primario formae non est difficultas, quod sit formalis effectus, qui non est aliud quam ipsa forma, ut communicata; sed difficultas est tum circa ea, quibus forma communicat hunc effectum; tum circa effectum secundarium formae, qui est expulsio alterius, nam effectus positivi secundarii eodem modo et ordine communicantur a forma, sicut primarius, illum enim sequuntur.

Et quantum ad primum, invenimus formam et causare aliquid in materia actuando illam, et causare aliquid in composito constituendo illud; circa generationem autem nihil causat sicut materia, quia for-

ma consequitur generationem, ut terminus ejus, non causat ipsam. Et multi existimant formam non habere causalitatem erga materiam, sed erga compositum, quod sine dubio tenere debent illi, qui affirmant materiam de se naturaliter posse esse sine forma licet propter successionem generationum, non possit esse sine illa; hoc enim multos sentire refert Pater Suarez disp. xv Met. sect. viii, n. xiii, et in specie formam non habere causalitatem erga materiam, affirmat Cabero hic tract. ii, disp. iii, dub. ii, et Fuente ii Phys. q. iii, diffie. ii, et fundatur tum in eo quod materia non habet existentiam a forma, sed secundum se, ergo non causatur a forma, sed solum ab agente producente entitatem ejus, tum quia forma solum causat ut causa intrinseca, solum autem est intrinseca composito, non autem materiae: ergo proprie solum causat compositum; tum denique, quia esse formae est dare aliud esse formale, et specificum, hoc autem directe solum convenit composito, ergo solum compositum proprie causatur a forma.

Cæterum expressa D. Thomae sententia est: Formam exercere causalitatem aliquam in materiam actuando illam, et communicando esse, licet non causando ejus entitatem, ut potentialis est; sed ut determinata et actuata, et dependens in esse ab ipsa forma in ipso composito: et ita in opuse. xxxi, §. Viso autem, quod sunt, inquit D. Thomas: «Quod materia est causa formae, in quantum forma non est, nisi in materia, et forma est causa materiae, in quantum materia non habet esse in actu, nisi per formam, materia enim et forma dicuntur relative ad invicem, ut dicitur in ii Physie. dicuntur etiam relative ad compositum, sicut pars ad totum.» Ubi manifeste distinguit D. Thomas

causalitatem formae in materiam et in compositum, quia materia non habet esse, nisi per formam; quod etiam asserit in viii Met. lect. iv, et opuse. xv, cap. viii, dum inquit: «Quod materia secundum se considerata caret forma, per quam participat esse in actu secundum proprium modum.» Et similiter docet D. Thomas quod materia per formam determinatur, et perficitur, ejusque indifferentia tollitur, et ad speciem aliquam reducitur, ut patet in i p. q. vii, art. 1, et i Met. lect. xii, in fine, ubi inquit: «Quod materia cum sit infinitarum formarum, determinatur per formam, et per eam consequitur aliquam speciem.»

Ex quibus constat, quod entitas materiae, et considerari potest ut potentialis est, et privata formis, indifferentis ad illas, et sic nullo modo causari potest a forma; quae solum dat determinationem ad esse et tollit privationem, non autem entitatem causat sub indifferentia, et potentialitate, et privatione sui: et potest considerari ut existens, determinata, et actuata in rerum natura, et sublata potentialitate, et indifferentia tum ad essendum, tum ad causandum determinatum compositum: et quantum ad hoc materia physice dependet a forma, quia non potest tolli ejus indifferentia, nisi per formam, ea autem non sublata, materia non potest causare aliquid compositum determinatum, dependet ergo a forma in causando compositum. Dependet etiam in existendo, quatenus non existit materia sub indifferentia et privatione, sed ut reducta ad aliquem actum substantialem, per quem participat esse substantiale, et consequenter esse simpliciter, quod non supponit aliud prius, alias accidentale esse; dependet ergo a forma materia in existendo simpliciter et substantia-

liter quantum ad esse determinatum, sicut subjectum dependet a forma accidentali in essendo secundum quid, verbi gratia, ut sit album, vel calidum, etc.

Unde patet ad apposita fundamenta; negamus enim materiam secundum se habere existentiam independentem a forma, ut sup. q. iii et vii, late tractatum est. Et dato quod haberet aliquam existentiam, illa tamen est imperfecta, et insufficientis, ad existendum simpliciter sine forma, sicut accidens sine subjecto. Similiter licet forma sit causa intrinseca composito, et illi praebet speciem et existentiam, tamen hoc non potest facere in composito, nisi tollendo indifferentiam materiae tanquam causa extrinseca potentiae et identitati illius, sed intrinseca effectui formali, qui est communicatio sui, per se enim actuata, et tollit indifferentiam, qua sublata, resultat totum, in quo intrinsece includuntur materia et forma, in eoque existunt.

Circa effectum secundarium formae, sunt qui existimant, formam introductam, in subjecto expellere aliam effectivam ut instrumentum agentis, sicut unum corpus expellit alterum a loco. Alii vero contra, non posse expellere effectivam, quia deberent se mutuo tangere, ut expellerent. Si autem se tangunt, simul sunt in eodem subjecto. Quod si non ita fit expulsio, oportet explicare, quomodo unio unius formae causet expulsionem fieri defectu cause conservantis, quia statuit Deus ad positionem unius formae, non concurrere ad conservandum aliam.

Cæterum, hoc ultimum effugium non explicat naturas rerum, illa enim non conservatio, vel est debita naturae talis formae sic introductae, vel non: si non, ergo pro libito Deus tollet illam a subjecto, et sic potius desinit annihilatione, id est,

suspensione concursus, quam corruptione. Si primum, restat ostendere, quid sit illud, ratione cuius una forma aversetur consortium alterius, ut postulet non conservationem illius. Ille autem modus expellendi effective nullo modo debet admitti, in quo contingit multos falli illa similitudine corporis expellentis aliud a loco, quod non potest dici de forma; tum quia forma non agit effective in materiam, quia ipsa est terminus efficientis et momentis materiam, non vero agens in materiam, sed actuans, et sicut non actuat effective, ita neque expellit oppositam effective, quia actuando expellit: si autem effective expelleret, deberet producere aliquid per talem efficientiam, et de illo sic producto esset eadem difficultas, an expelleret effective, vel formaliter; nam si formaliter, idem diceretur de prima forma; si effective, ergo producendo aliud, et reddit processum in infinitum: præterquam quod unum corpus expellens aliud a loco, imprimit illi impulsu seu motum, quo removetur ab uno loco, et ponit in alio forma, autem producta non potest aliquid imprimere in forma, quæ expellitur, quia illa desinit esse; ergo non expellit effective.

Quare expulsio unius formæ ab alia reducitur ad oppositionem, quam habet una forma ad aliam, quæ oppositio fit per privationem adjunctam, quam una forma habet respectu alterius, non per efficientiam. Quod colligitur ex D. Thomæ XI Metaphys. lect. XII, ubi inquit: « Forma secundum quod in se consideratur, constituit speciem in genere substantiæ, secundum autem quod una forma habet sibi intellectam privationem alterius formæ, diversæ formæ sunt contrariarum differentiarum principia, nam privatio quodammodo contrarium est. Et

per hunc modum opponuntur animatum et inanimatum, rationale et irrationale, et alia hujusmodi. » Ita D. Thomas. Quare est necesse, quod una forma respectu alterius habeat expulsionem effectivam, sed privativam, quæ privatio fundatur in una forma respectu alterius, hoc ipso quod limitata et determinata est, non solum in se, sed etiam in ordine ad alteram, quod tamen non eodem modo contingit in omnibus formis, nam aliquæ consistunt in indivisibili, ita quod aliquo addito vel subtracto, solvitur ejus species, sicut numerus, figura, formæ substantiales, quia cum substantiales sint, dant primum, et essentialia esse, unde habent negationem alterius primi esse, et tales formæ habent essentialiter sibi annexam privationem alterius, neque est separabilis ab illa, licet sit effectus secundarius, quia fundatur in ipsa indivisibili ratione specifica. Aliæ vero formæ sunt non consistentes in indivisibili, sed habentes aliquam latitudinem, quia possunt crescere magis et minus, et tales non fundant immediate privationem, sed contrarietatem, et quando forma perfecte sibi subiecit subjectum, tunc expellit aliam propter contrarietatem perfectam, alia vero potest privatio separari a forma. Posita vero privatione, non est necesse quod una forma tangat aliam, ut expellat illam, et simul sint, sed potius quod privet illam, et simul non sint, atque ita instans unius sit desinitio alterius.

Ex dictis colliges: Deum non posse concursu materiali, aut formali aliquid causare. Et de materiali constat, quia fit mediante receptione, seu mutatione, quæ potentialitatem supponit, Deus autem est actus purus. Concursus autem formalis, vel est formæ constituentis seu actuantis materiam, ut resultat totum, vel

solum terminantis, non ut aliquod totum resultat, sed ut pure aliquid perficiatur, vel trahatur ad esse alterius. Primo modo repugnat Deo causalitas formalis, quia est primum ens, unde non potest dari aliquid ipso tamquam parte constitutum, quia omne totum est majus sua parte, et specialiter forma informans, est forma participata ab aliquo agente, quod Deo repugnat, ut tradit S. Thomas prima parte, q. III, artic. VIII. Secundo vero modo non repugnat Deum se ipso terminare formaliter, sicut personalitate terminat humanitatem, et essentia sua supplet vicem speciei in beatis, quia species de se non constituit aliquam tertiam naturam cum intellectu, sed pure perficit ipsum in esse intelligibili. Et sic dicit D. Thomas III: contra Gentil. cap. LI « Quod species intelligibilis unita intellectui, non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni divinæ essentiae non repugnat. » Ex quo datur intelligi, quod illa solum informatio repugnat divinæ essentiae, quæ non pure perficit, sed etiam perficitur, sicut quæ constituit aliquam tertiam naturam.

ARTICULUS III.

Ad quod genus causæ reducatur idea seu exemplar?

Philosophus diffiniens causam formalem in hoc secundo libro, dixit: « Quod forma est species, et exemplar; per speciem intelligendo formam inhaerentem, quæ constituit aliquam speciem; per exemplar autem formam imitabilem: seu unico verbo, species est forma informans, exemplar est formans, quia non est in ipso formato sed extra, et ideo ad tractatum de causa

formali pertinet tractare de exemplari. Definitor autem idea, ut tradit D. Thomas q. III de Verit. a. I, ex D. Augustino XII de Civitate, cap. XXV, quod idea est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinante sibi finem: vel ut alii definiunt: idea est id ad quod respiciens artifex operatur; ubi forma ponitur loco generis. Sed quia forma potest habere plura munera, est enim id quo aliquid constituitur, et id quo aliquid efficit, et id unde aliquid sumit participationem, determinatur per sequentes particulas, in qua acceptione sumatur forma. Nam per illam particulam quam aliquid imitatur, exprimitur differentia formæ intrinsicæ, quæ est forma participata a forma ideali, quæ est forma extrinseca participabilis. Et denique per ultimam particulam ab agente ex intentione finis, excluditur forma naturaliter operans, vel fortuito, ut cum ignis generat ignem, forma ignis non est idea.

Difficultas ergo est, an idea sit subjective in intellectu, an objective, id est, an sit ipse conceptus, an objectum: et quam habeat causalitatem. Et quidam dicunt, ideam esse ipsum objectum cognitum, quod quis respicit imitandum: alii, quod est conceptus ipse formalis. Hoc secundum sequuntur Paler Suarez disp. XXV Met. sect. I, et Vazquez I p. disp. LXXII, cap. II, loquens de idea Dei, nam de idea artificis creati dicit esse objectivum conceptum. Primum vero sequuntur plures ex schola D. Thomæ et Scoti, sed diversis viis; nam Scotus sensit ipsum objectum ad extra faciendum ut cognitum esse ideam et sic creaturam, ut cognitam a Deo esse ideam sui, ut in se existens, et hoc est esse diminutum, quod Scotus assignat creatoris antequam sint in se. Alii vero non ipsi rei faciendæ,

ut cognitæ assignant rationem exemplaris, sed alteri rei, a qua ista res facta participatur, et deducitur, quatenus cognita est, v. g. in Deo non ipsi rei creatæ, sed essentia divina, ut imitabili a creaturis assignant rationem ideæ. Et in hac parte difficultas maxima oritur ex eo, quod ideæ utrumque debet attribui, scilicet, esse id quod imitandum est ab artifice, quod utique non convenit conceptui formali, sed objectivo, qui cognoscitur ut imitandus, et similiter convenire illi debet quod influat et dirigat vitaliter, seu formet ipsum artificem ad producendum ideatum, quod non convenit objecto, sed conceptui, objectum enim secundum se sumptum non influit vitaliter in opus, sed ut formatum ab intellectu.

Sit tamen unica conclusio: Ratio ideæ, neque est ipsum objectum ad extra, ut cognitum denominatione extrinseca, neque ipse conceptus formalis, ut præcise est id, quo intellectus redditur cognoscens, et secundum habitudinem ad intellectum, quem informat, sed secundum habitudinem rei repræsentatæ ad rem extra quam format. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma 1 part. q. xv. art. 11 ad 2 ubi inquit: « Quod sapientia, et ars significantur ut quo Deus intelligit, sed idea ut quod intelligit, Deus autem uno intellectu intelligit multa, et non solum secundum quod in se ipsis sunt, sed etiam secundum quod intellecta sunt, quod est intelligere plures rationes rerum, sicut artifex dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus, ut a se speculatam (ex eo quod intelligit se intelligere eam) intelligit ideam vel rationem domus. » Et in corpore articuli idem expresserat dicens: « Ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelli-

gitur, non autem sicut species qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domum in materia format. » Et similia videri possunt in primo, d. xxvii, quæst. 11, art. 111 ad 4. Ubi distinguitur in ipso conceptu seu forma artificis varias habitudines, et in quantum est res quædam in se, et in quantum est medium præcise cognoscendi objectum, et in quantum est medium comparandi id quod cognoscitur ad id quod ab ipso fit, et secundum hanc ultimam considerationem attribuit ipsi rationem ideæ. Cum ergo D. Thomas attribuat ideæ, quod debet esse in mente operantis, et non tanquam id quo intelligit, sed tanquam id quod intelligit, non possumus in ejus sententiâ attribuire rationem ideæ objecto prout cognito ad extra; sicut enim non est in mente operantis, neque ipsi conceptui formali per habitudinem ad intellectum, quem informat; sic enim est id quo intelligit, non id quod imitatur; sed objectum, ipsum, prout beneficio conceptus intra ipsum redditur immateriale, et denudatum a conditionibus materiæ, et ut habet habitudinem imitabilitatis ad id, quod in materia est, sic est idea, sicut Plato ponebat ideas separatas a materia, sed quod ipse tribuebat eis realiter et subsistentem, nos tribuimus illis beneficio intellectus. Quia tamen contingit intellectum formare ideam accipiendo ab objecto aliquo extra se aliquid, ut ex illo aliud fiat, ideo aliquando ratio exemplaris, et ideæ attribuitur etiam ipsi rei ad extra, et sic Divus Thomas utrique attribuit rationem exemplaris tam formæ, quæ est in mente artificis, quam objecto extrinseco, a quo illam desumit, ut patet 1 part. quæst. xliv, artic. 111, et in quæst. 111 de Verit. articulo 1,

ubi dicit: « Esse proprium Dei, quod ejus ideæ sunt tantum in mente Divina, et non extra. »

Et ratio est, quia ad ideam requiritur quod non solum cognoscatur res in se absolute, sed accipiatur sub comparatione formæ imitabilis ab alio, in quo ejus similitudo exprimitur, non per propagationem naturalem, sed per imitationem dirigibilem ab intellectu, ergo ista ratio formæ, ut imitabilis non propagatione, sed directione, licet sumatur a re extra objective, non tamen formaliter invenitur, nisi in ipso intellectu dirigente et exprimente. Specialiter autem ipsa res facienda et exemplanda, non potest habere rationem ideæ (sicut aliqui dicunt, quod quando exemplar est omnino perfectum et distinctum, tunc est conceptus ipsius rei faciendæ.) Etenim res facienda quantumcunque perfecte exprimitur, si concipitur ut est in se, et in suis conditionibus materialibus ad extra, semper concipitur, ut ideata et exemplata, quia sub illis conditionibus in re ideata est, ergo exemplar, et idea illius non potest esse ipsa res facienda, prout perfecte cognoscitur in se, sed ut proponitur imitandum, et participandum ab illa, idem autem non potest participare se ipsum; ergo distingui debet objectum, quod formatur tanquam idea ab objecto, quod cognoscitur ut faciendum ad extra, et ideandum.

Quod vero ipse conceptus formalis secundum se, et in ordine ad intellectum, ut ad subjectum, non sit idea, inde probatur, quia conceptus secundum habitudinem ad ipsum intellectum est forma, quam artifex intelligit, non id quod imitandum proponit, nec ad cuius instar aliquid facit, nec enim ad instar conceptus, ut est qualitas afficiens intellectum fit res ideata ad extra, sed idea est aliquid intellectum quod

tanquam imitandum accipitur; est enim id, ad quod artifex intendens operatur: conceptus autem ut informat ipsum intellectum non est res cognita, quam attendit artifex ut imitandam, sed id quo cognoscitur illud, quod imitandum est. Et hinc oritur, quod conceptus possit esse unus, etiamsi multa attingat, dummodo attingat sub eadem ratione, quia sub illa egreditur unico modo ab intellectu, et sic habet unitatem; idea autem sumitur secundum comparationem formæ imitabilis ad ideatum, et sic multiplicatur secundum diversam comparationem talis imitabilitatis ad rem imitantem. Verum est, quod aliquando laxiori significatione solet conceptus quilibet dici exemplar, non secundum propriam rationem exemplaris, sed secundum quod præcise dicitur rationem cognoscendi, et similitudinem expressam, ut Sanctus Thomas docet q. 111 de Verit. art. 111, et 1 part. quæst. xv, art. 111.

Quare restat, quod exemplar formaliter sit ipsum objectum imitabile, non prout cognitum tantum denominative extrinsece, sic enim vel est id, a quo intellectus accipit speciem, quam formet ideam, non autem ipsa idea formata, vel est id quod ideandum est ab illa. Est ergo idea ipsum objectum intrinsece cognitum, hoc est in ipso conceptu redditum immateriale, et intelligibile per modum expressionis, sic enim comparatur ad res ideatas, ut forma immaterialis ad formam in materia; quod in re non invenitur, nisi in ipso conceptu, non sub habitudine formæ informantis, quam intellectus intelligit, sed sub habitudine objecti expressi in conceptu, et informantis aliud extra conceptum. De quo videri possunt plures Auctores ex Thomistis apud M. Gonzalez 1 p. disp. XLVII, sect. 11.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Res repræsentata in verbo, si sumatur realiter, non est aliud quam ipse conceptus, in quo objectum relucet tanquam in speculo, præter ipsum autem conceptum non invenitur nisi objectum extra, et denominatio cogniti, ergo si idea non est objectum extra, sed forma in mente artificis, oportet quod sit ipse conceptus formalis, qui tamen non est imitabilis a re extra. Confirmatur: res intra conceptum repræsentata non potest esse causa realis, vere et proprie respectu rei ad extra, ergo in ipsa formaliter non consistit ratio ideæ. Antecedens probatur, quia rem esse cognitam intrinsece, nihil reale addit supra ipsum conceptum formalem, neque enim objectum ex eo quod sit cognitum intra intellectum, acquirit aliquid reale, sed aliquid rationis, ex eo enim Logica agit de ente rationis, quia agit de rebus, ut cognitis ab intellectu.

Respondetur, probare argumentum, quod idea realiter et identice non distinguitur a conceptu formali, ut dictum est, sed tamen conceptus habet duplex officium seu formalitatem; alteram respectu intellectus, et sic reddit ipsum cognoscentem, tanquam terminus cognitionis, alteram respectu objecti, et sic reddit illud immaterializatum, et intellectum in actu; eo quod intellectui non redditur proportionatum objectum, nisi intra ipsum sit, ubi redditur illuminatum luce intelligibile, sicut color redditur visibilis per lucem visibilem. Primo modo conceptus formalis non est idea, quia non est forma, ut imitabilis, sed ut constituens cognoscentem. Secundo vero modo est ipsa idea, seu exemplar, quæ est forma intra intellectum tan-

quam res intellecta et imitabilis, et ita S. Thomas non negat ideam esse idem quod conceptus, dum inquit I p. q. xv. art. 1: « Quod similitudo domus præexistit in mente ædificatoris, et hæc potest dici idea domus. » Non tamen ut reddat cognoscentem tanquam *quo*, sed ut reddat objectum cognitum, id est, illuminatum ut *quod*, ad cuius similitudinem aliquid format, ut dicit ibidem art. II.

Ad confirmationem respondetur, ideam esse causam realem realitate conceptus, a quo non distinguitur, non realitate superaddita objecto extra conceptum. Logicus autem non considerat ipsam rationem objecti, ut in conceptu redditur immaterializatum, et intellectum in actu, illustratum et manifestum, hoc enim pertinet ad libros de Anima, sed id quod resultat in objectis cognitis secundum intentiones, v. g. ordinem prædicabilitatis, non rationem immitabilitatis realiter, et ad extra.

Secundo arguitur: Conceptus non est cognitum ut *quod*, sed ut *quo*, nisi quando reflexe cognoscitur, ergo non potest in idea, nisi per cognitionem reflexam, quod est falsum, alioquin ipsa entitas conceptus esset idea, quia hæc est quæ cognoscitur reflexe. Consequentia patet, quia idea non est id *quo* aliquid intelligitur, sed *quod* est intellectum et cognitum; ut ex D. Thoma diximus, ergo si conceptus non est id quod est cognitum ut *quod*, non est idea. Antecedens vero probatur, quia respectu cognitionis directæ conceptus solum se habet, ut medium in quo repræsentatur objectum, ergo non se habet ut objectum cognitum ut *quod*, nisi quando reflexe cognoscitur. Confirmatur, quia finis apprehensus movet finaliter, sicut idea imitabiliter, sed in fine apprehensio solum est conditio, ratio vero formalis est in ipso objecto secundum se;

ergo similiter in idea conceptus se habebit ut conditio, seu applicatio, non ut constitutum; unde quando aliquis vult operari per ideam, ipsa cognitio, seu conceptus applicat illam ad opus, ergo cognitio deseruit, ut applicatio, non ut constitutum ideæ.

Respondetur distinguendo antecedens: conceptus non est cognitum ut *quod*, nisi reflexe, quando cognoscitur ipsa entitas conceptus, concedo; si solum cognoscatur objectum, ut constitutum in esse objecti illuminati, et intellecti ut *quod*, nego; sic enim verbum non ponit in numero cum ipso objecto ad intra, cum ad hoc maxime ponatur verbum in nobis, ut objectum reddatur spiritualizatum, seu illuminatum, et formatum in esse objecti per modum termini intellecti intrinsece, ut constat ex D. Thoma II contra Gent. c. LIII, et opusc. XIII et XIV. Ad hoc ergo ut objectum in conceptu reddatur cognitum ut *quod*, et ipsum verbum constituat objectum cognitum intrinsece, non indiget reflexione, et in hoc consistit idea, bene tamen indiget reflexione, ut cognoscatur entitas conceptus. Quare D. Thomas etiam ipsi conceptui attribuit quod sit cognitum ut *quod*, cum dixit in qu. IV de Verit. art. II ad 3: « Quod conceptio intellectus non solum est id quod intellectum est, sed etiam id quo res intelligitur, ut sic id quod intelligitur, possit dici, et res ipsa et conceptio intellectus. » Et I part. quæst. XV, artic. II: « Forma domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domum format. »

Ad confirmationem respondetur esse disparem rationem de fine et de idea, quod finis movet ad sui assecutionem, idea vero ad sui imitationem. Objectum autem assequibile non est res ipsa, ut denudata a

conditionibus materialibus, et redita immaterialis in mente, sed ut existit individualiter in re extra intellectum. At vero objectum imitabile ex directione intellectus, debet esse formatum per ipsum intellectum, ut in re ad extra ponatur res exemplata et derivata a tali forma, et ita idea non habet esse intra intellectum tanquam conditionem si ut finis, sed per se ei convenit ut ratio. Quando vero dicitur applicari per ipsam cognitionem ad opus, respondetur applicari per cognitionem non ut formantem ipsam ideam, sed ut imperantem efficaciter ejus executionem, postquam est formata.

Tertio arguitur: Idea sic explicata a nobis non potest habere veram causalitatem, ergo non est vera causa. Nam quod non sit causa materialis, constat, cum non recipiat formam, sed originet ipsam. Neque est finalis, quia ut nuper dictum est, non movet ratione bonitatis realis, et habendo apprehensionem tanquam conditionem, sicut requiritur ad rationem finis. Neque est causalitas formalis, quia non informat intrinsece per unionem, quæ est causalitas formæ. Si autem dicatur causare formaliter extrinsece, in primis non apparet in quo consistat ista causalitas, nec est alia quam objectiva, qua movetur artifex ad formandum ideam, in quo tamen non consistit causalitas causæ exemplaris: tum quia non requiritur per se ad exemplar quod accipiatur, et formetur ab aliquo objecto ad extra, sed tantum quod in intellectu detur species, et representatio rei faciendæ, undecumque accipiatur, tum quia ista objectiva motio non est ipsa causalitas exemplaris, sed antecedit formationem ejus, movendo intellectum ad formandum conceptum et ideam, quæ postquam est formata, causat exemplatum, et hæc causalitas jam non est objecti-

va, id est, ab objecto ad intellectum. Nec denique est causalitas efficiens, quia non potest efficienter causare, nisi modo metaphorico, eo quod idea tantum operatur per imitationem, quae non est influxus physicus, sed cognitus, et media excitatione factus, quod pertinet ad causam moralem, non physicam.

Respondetur hoc argumentum petere difficultatem de causalitate ideae. In quo aliqui existimant, non habere causalitatem nisi metaphoricam, id est, in ratione esse cogniti, non in ratione esse physici. Ita Martinez in hoc libro, c. III, q. I, et Fuente II Phys. q. VIII, diff. III, art. I. Et ad causam efficientem esse reducendam, censet P. Suarez disp. xxv Met. sect. II.

Nihilominus dicendum est: Causalitatem ideae reduci possi ad efficientem et finalem, sed specialiter et proprie ad formalem, quatenus est forma intrinseca formans, sed non informans. Est communis inter Thomistas, et quod habeat rationem causae finalis sumitur ex D. Thoma qu. III de Verit. art. I, in fine corporis, et III contra Gent. cap. XIX, ubi id expresse dicit. Ratio vero efficientiae attribuitur a D. Thoma quod. VII, artic. III, ubi inquit: « Quod artifex cognoscit artificiatum per eam formam, per quam ipsum facit. » Et ratio est, quia idea et ars simul concurrunt ad artificiatum, et idea se habet ut forma practica; ergo ut operativa et efficiens per artem. Ratio enim practici efficientiam importat, sive ex propriis, sive ex voluntate participatam: nam ideam operari adjuncto amore voluntatis, docet D. Thomas I p. quaest. XLV, artic. VI. Quare sicut agens naturale operatur per formam suam, cui assimilat effectum, et illa forma est ratio operandi, quia est ratio assimilandi, ita agens artificiale ratione formae idealis assi-

milat sibi effectum, consequenter ratione illius operatur efficienter directive, seu intentionaliter, non efficienter executive.

Quod vero proprie pertineat ad ideam ratio causae formalis extrinsecae sumitur ex Aristotele v Meta-phys. text. II, ubi inquit: « Quod forma est species et exemplar. » Quem textum explicans S. Thomas ibidem lect. II, ait: « Alio modo dicitur causa, species, et exemplar, et haec est causa formalis, quae comparatur dupliciter ad rem, uno modo sicut forma intrinseca rei, et haec dicitur species; alio modo sicut extrinseca a re, ad cuius tamen similitudinem res fieri dicitur, et secundum hoc exemplar rei dicitur forma. » Ratio autem est, quia forma intrinseca non est aliud, quam quaedam forma participata ab idea, ad cuius similitudinem fit, et per ordinem ad quam regulatur ejus veritas et perfectio, sicut in artificialibus forma artefacti derivatur a forma artificis, et per illam regulatur ejus propria ratio, in naturalibus autem formae naturales regulantur, et participantur ab ideis Divinis, ergo idea habet rationem formae extrinsecae specificantis, et originantis formam anticipatam, quae informat subjectum intrinsece, ergo in eadem linea causandi, qua forma intrinseca causat, debet etiam idea extrinsecae causare, in quantum formaintrinseca est quaedam expressio ideae et per eam regulatur, et specificatur propria ratio talis formae. Specificativum autem causam formalem importat. Et ex eadem ratione constat, ideam habere rationem causae finalis, quia forma exemplata respicit exemplar ut perfectivum sui, et per convenientiam ad ipsum perficitur, ergo ut finem, quia perfectio alicujus, finis ejus est. Neque obstat, quod actio producens exemplatum, non intendit pro fine ipsam conformita-

tem ad exemplar, sed formam ipsam in se, conformitas vero solum se habet, ut commensuratio et regulatio quaedam formae inducenda: hoc inquam non obstat, quia non repugnat quod ipsa regula etiam sit finis, quando ex ipsa regulatione resultat aliquod bonum, et perfectio in regulato, ut constat in morali actu.

Quod si petas: In quo consistat ista causalitas formalis extrinseca, respondetur, quod cum forma extrinseca non communicet se ipsam immediate per conjunctionem sui, oportet quod exemplar identificent suam causalitatem cum actione efficientis, eo quod non operatur sine arte efficiente et dirigente, sed tamen in illa directione, et operatione artis et datur processus efficientiae, quatenus res extrahitur de non esse ad esse a principio artis, et datur imitatio passiva, et specificabilis a forma exemplati, per quam regulatur, et sub hac ratione dicit causalitatem formalem extrinsecam, quatenus per imitationem dat speciem; specificativum autem causa formalis est. Neque hoc est addere novum genus causae praeter quatuor; tum, quia illud Aristoteles posuit numerando exemplar inter causas; tum quia ad formalem reduxit.

Unde ad appositas instantias respondetur. Ad primam, de causalitate finalis dicitur, quod idea non est finis, ut assequibilis, sed ut imitabilis, et ideo non oportet, quod habeat apprehensionem tanquam conditionem tantum sicut finis, qui in re est assequibilis, et sic reductive tantum pertinet ad causam finalem.

Ad secundam instantiam, quod attinet ad explicationem ipsius causalitatis formalis, in quo consistat, jam dictum est. Quod vero dicitur istam causalitatem esse objectivam, respondetur non consistere in causalitatem objecti ad potentiam, haec enim non requiritur per se ad ratio-

nem exemplaris, sed tantum antecedenter in nobis, quia acquirimus cognitionem ab objectis, sed causalitas ista formalis est per conformitatem formae imitabilis ad rem extra, ut deductam ab illa per imitationem; ut enim saepe docet D. Thomas agendo de veritate, ut I part. quaest. XVI et quaest. I de Veritate; aliquando cognitio quae est veritas formalis, sumitur ab objectiva, quae transcendentalis est, aliquando e converso veritas in rebus sumitur ab intellectu, ut in artefactis; et ideo omnis veritas creata sumitur per conformitatem ad ideas Divinas, a quibus exemplatur, tanquam artificiatum; sicut ergo in nostra cognitione veritas sumitur a rebus per conformitatem ad eas ut ad objecta, ita quando exemplatur aliquid ab idea, sumit veritatem ab illa per conformitatem imitationis, quae etiam est specificatio quaedam veritatis.

Ad ultimam instantiam de causalitate efficientiae, respondetur hanc habere ideam, non ut objectum cognitum praecise, sed ut cognitum practicae, quod per artem et imperium movet efficienter, cuius efficientiae ratio oritur a voluntate, quae est primum movens quoad exercitium et imperium, ut doceri solet I-II, quaest. IX et quaest. XVII. Unde haec efficientia non magis metaphorica est, quam quaecunque efficientia voluntatis, et mediante motione voluntatis efficientia artis practicae in intellectu.

De essentia vero Divina quomodo sit idea, ut cognita imitabiliter et comparative ad creaturas, cui creaturae assimilantur, tanquam eminentissimo exemplari similitudine quidem aequivoce, sed perfectissime experiente, et attingente, quidquid participatur in creatura, ad Theologos remittimus, qui de hoc agunt, I p. q. XV.